Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift

super philosophorum intellegatur superbia. De quibus dicitur: Perdam sapientiam sa
pientium. & intellegentiam intellegentium reprobabo. Pauca de prophetis ex
empla replicanda sunt. Amos loquitur. Hec dicit dominus super tribus impieta
tibus moab. & super iiii. non aduersabo eum, pro quod conbussit ossa regis idu
mee in cineres. Uere enim quicquid in seculo dogmatum philosophorum quicquid ad
terrenam sapientiam pertinet putatur esse robustum. hoc dialectica sub
uertitur. & instar incendii in cineres fauillasque perpetue dissoluitur.
ut probetur nihil quod putabatur esse fortissimum. Sed; & Esaias superbiam mo
ab arguit dicens. Audiuimus contumeliam moab. contumeliosus est
nimis. superbiam eius abstuli. Hieremias quoque contra omnes uaticinans na
tiones, proprie loquitur ad moab. quod confidebas in munitionibus tuis. &
propauca habes fiduciam in gloria tua. & iterum. Quo dicitis fortes sumus.
ac deinde. iuxta est moab. ut ueniat & malitia eius nimis. & manifestius
dicitur. Quomodo contritus est baculus gloriosus uirga magnificentie. & iterum.
Contritum est cornu moab. Hec autem dicuntur sub nomine moab. ut stulta seculi
& in celum semper ferens malitia conteratur. Mulier autem quedam de uxo
ribus prophetarum clamabat ad heliseum dicens. Seruus tuus uir meus mortuus est.
& tu nosti quia seruus tuus fuit timens deum. Et ecce creditor uenit
ut tollat duos filios meos ad seruiendum sibi. Cui dixit heliseus. Quid
uis ut faciam tibi? Dic mihi quid habes in domo tua? At illa respondit.
Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea. nisi parum olei quo ungar.
Cui ait. Uade pete mutuo ab omnibus uicinis tuis uasa uacua non
pauca. & ingredere & claude hostium. Cum intrinsecus fueris tu &
filii tui. & mitte inde in omnia uasa hec. & cum plena fuerint tolles. et reliqua.
Quod per hanc mulierem nisi sancta ecclesia designatur duorum populorum .i. iudaici &
gentilis quasi duorum filiorum mater. que prius ex peruerso opere consenti
endo callidi serpentis persuasione quasi quendam peccati nummum a credito
re acceperat. & duos quos in fide genuit amittere filios timebat.
sed prophete uerbis .i. scripture sacre preceptis obediens ex paruo quod